

XXVII. Ad primam replicam contra hoc respondetur quod recipere in esse intentionali objecta, est recipere cum virtute producendi sensationem radicaliter non formaliter, nec enim receptio fit ratione virtutis ut activæ, licet non recipiat sic, id est, repræsentative, nisi potentia habens virtutem producendi cognitionem. Et sic bene potest inferri virtus producendi sensationem ex modo recipiendi immaterialiter, ideo enim alicui naturæ convenit virtus producendi sensationem, quia taliter se habet ut non solum possit recipere modo entitativo, sed etiam modo immateriali et repræsentativo formas alterius, sicut quando infertur ratio potentiæ vitalis ex activitate organica non solum agendi in alia, sed etiam in se.

XXVIII. Ad secundam replicam dicitur, species informare aerem modo necessario et secundum totam virtutem quantum subjectum capax est, aer autem est capax recipiendi species visibiles entitative, quia diaphanus est, non repræsentative, quia non immaterialis, id est, non elevatus supra modum communem recipiendi entitative.

ARTICULUS II.

Utrum actualis intellectio sit formale constitutivum naturæ divinæ?

I. Nomine divinæ naturæ non solum intelligimus constitutivum entitatis divinæ, ut præcise entitas increata est, quod magis explicatur nomine essentiæ vel substantiæ, seu entis increati, sed intelligimus conceptum divinitatis, ut est radix operationum et eorum, quæ concipiuntur ut propriæ passionis Dei. Ratio hujus est, quia natura sub conceptu naturæ concipitur tamquam id quod est principium pri-

um motus et quietis in se. Unde maxime ex operationibus specificationem naturarum venamur. Et ita conceptus naturæ non debet esse communis ipsis attributis seu potentiis, et radici earum, sed debet condistingui ab illis tamquam constituens gradum ipsum essendi. At vero id quod entitativum est, potest esse commune naturæ, et attributo, et consequenter non explicat conceptum naturæ ut natura. Constat autem quod entitas increata communis est attributis, et naturæ, operatione divinæ, et operanti. Unde potius se habet ut conceptus transcendentalis ille, qui constituit esse divinum in ratione increati (sicut conceptus entis creati pro creaturis) quam conceptus naturæ ut natura. Unde etiam illa attributa seu conditiones quæ consequuntur ens increatum sub ratione increati, verbi gratia, infinitas, bonitas, æternitas, etc. magis se habent ut attributa entitativa, et transcendentalia, quam operativa, et propriæ naturæ ut natura est.

II. Ergo non est quæstio in præsentia per quid constituatur nostro modo intelligendi divina essentia; et substantia ut entitas increata est ut sic, et a creaturis distincta ratione increati, et constituentis conceptum essentiæ divinæ sub ratione, et conceptu transcendentali ad id quod natura est, et ad id quod attributum, vel operatio: sicut etiam in rebus creatis non solum ens ut sic, sed etiam ens creatum, et limitatum se habet transcendentaliter ad omnem creaturam, et ut non formale constitutivum naturæ. Similiter ens increatum ut primo contraponitur, et distinguitur ab ente creato, per modum transcendentalem concipitur, et communiter se habet tam ad conceptum naturæ in Deo, quam attributorum vel operationum, et Personarum. Et

ideo non est præsens quæstio de constitutivo hujus entitatis et substantiæ sub conceptu isto transcendentali; sed quid sit formale constitutivum illius specialis conceptus, in quo natura divina, ut natura secernitur a conceptu attributorum, et Personarum, et sumitur, ut ab illis condistincta nostro modo intelligendi. Quæ distinctio maxime præ oculis est habenda, quia ex ejus defectu contingit graviter æquivocari in hac parte multos auctores, licet enim omnia in Deo conveniant in ratione entis increati et substantiæ divinæ; quæ prout sic constituitur per conceptum actus puri, tamen sicut hoc non obstante inquirimus per quid formaliter constituatur Persona in ratione personæ, vel per quid constituatur hoc, vel illud attributum, ita etiam inquirimus per quid constituatur natura in ratione naturæ in Deo. Et explicare oportet quid sit hoc formale constitutivum naturæ divinæ.

III. In hac ergo difficultate est duplex ordo sententiarum. Nam quidam diverse inter se sentiunt circa constitutivum naturæ divinæ, an debeat constitui per ipsum esse, et substantiam a se, an per rationem, et conceptum intellectualitatis. In secundo vero ordine, illi qui sentiunt constitui naturam divinam quantum ad conceptum naturæ per intellectualitatem digladiantur inter se, an debeat constitui per intellectualitatem ut dicit rationem actus primi, aut virtualis principii, et radicis intellectionis: an vero per ipsam intelligere ut dicit actum ultimum et secundum. Atque ita aliqui volunt ante omnem intellectualitatem dari naturam divinam, et ipsam potentiam intellectivam solum esse attributum, et ipsum intelligere operationem, ita quod omnia, quæ in nobis sunt circa naturam, potentiam, et intelligere, transfe-

runtur in Deum solum remota imperfectione, et distinctione. Alii vero solum ipsum actum ultimum qui est intelligere ponunt in Deo, remoto omni alio quod se habet ut actus primus, quia solum hoc intelligere potest esse actus purus, et sola illa intellectualitas invenitur in Deo, quæ est actus purus.

IV. In primo ordine sunt multi auctores, qui divinam naturam dicunt constitui per ipsum esse seu substantiam a se, ita quod neque actus primus intelligendi, neque secundus est prædicatum essentialiale, vel constitutivum illius naturæ, sed consequitur ad illam, ut attributum ex Thomistis aliqui in istam sententiam inclinant, ut Capreolus in 1, distinct. viii, quæst. iv, art. i in initio; Bagnez part. quæst. iii, art. iv, dub. iii in explicatione primæ conclusionis, et quæst. xiv, art. viii in fine, sed tamen articulo iv dicit quod essentia divina pertinet ad genus entis, et ad genus intelligibile, esse tamen entitativum formaliter includere ipsum intelligere. Et idem sentit magister Ledesma, tractatu de perfectione Dei, quæst. xii, art. xiii, conclus. iii et vi dicens, quod esse, ut dicit naturam entis ultimo complemento perfectam, importat formam, et perfectionem totalem naturæ divinæ, quæ essentialiter, et formaliter complectitur intelligere divinum, vivere, et reliquas perfectiones, et sic comparat intelligere ad esse divinum, ut perfectionem particularem ad universaliorum in qua includitur. Sed absolute fatetur quod intellectualitas habet in Deo rationem quasi ultimæ differentiæ. Et Cajetanus 1 part. quæst. xii, art. xi, §. Ad hoc breviter, dicit quod hoc nomen qui est, non solum est proprium Dei comparative ad creaturas, sed etiam comparative ad reliqua nomina seu attributa Dei, ut sapiens, vivens, etc. atque

adeo videtur illi attribuere propriam rationem naturæ, ut distinguitur ab attributis. Sed Cajetanus solum dicit quod deitas importat illam naturam quasi secundum differentiam specificam, sed hoc nomen qui est importat eandem, quasi secundum genus, ergo in alio constituit Cajetanus ultimum, et differentialem conceptum naturæ quam in esse.

V. Quare hanc sententiam expressius sequuntur multi ex recentioribus extra scholam D. Thomæ qui totam essentiam Dei affirmant constitui antecedenter ad intellectualitatem, et sic intellectum tam actu primo quam secundo solum se habere ut attributum Dei. Ita docet Molina 1 part. quæst. II, art. III circa finem, §. Secunda via. In eadem inclinatur p. Vazquez, licet obiter tetigerit hanc difficultatem. Videri tamen potest in hac prima parte, disp. LIX, cap. III, §. Duo solum et disp. CXIX, cap. III. Eandem sequitur Granados hic disp. III, sect. II et docet esse sententiam D. Thomæ et Tortes 2-2, disp. II de objecto fidei, dubio I et alii.

VI. Omitto aliquorum sententiam, qui excusantes se potius quam attingentes punctum difficultatis dixerunt naturam divinam consistere in collectione omnium perfectionum divinarum, et attributorum. Alii vero quod consistit in radice omnium attributorum; sed primi sunt nimis ampli, et secundi nimis diminuti. Nam primi extendunt conceptum naturæ etiam ad ipsas proprietates naturæ, cum tamen in præsentem inquiramus de conceptu naturæ divinæ, ut distinguitur ab attributis, seu proprietatibus. Secundi vero non explicant id quod inquirimus, nempe quænam sit ista radix proprietatum; nullus enim dubitat, quod natura eujuscumque rei consistat in radice suarum pro-

prietatum, sed quidnam sit ista radix, hoc restat inquirendum.

VII. In secundo ordine duplex quoque est sententia, nam ex his qui sentiunt naturam divinam non consistere in esse, sed in intellectualitate, quidam existimant consistere in intellectualitate pro radice seu actu primo. Ita pater Arrubal hic disputatione XXVIII, capite tertio, et quarto: et favere videtur Cajetanus prima parte, quæstione quinquagesima, articulo quarto dicens, quod perfectissimus gradus in creaturis, et qui perfectissimam assimilationem facit ad Deum est gradus intellectualis. Alii, et quidem frequentiores existimant constitui per ipsum actum secundum, qui est intelligere prout dicit actum ultimum, et purum ipsius intellectualitatis. Hanc sententiam sequuntur communiter Thomistæ hoc tempore, et eam docet magister Gonzalez hic disp. XXXVI, conclus. V; Nazarius hic artic. V, controver. I; Zumel 1 part. quæst. XXVII, artic. IV, quæst. II; Carmelitani III tractatu de scientia Dei, disp. IV, dubio II. Eandem sequitur pater Suarez disp. XXX metaphys. section. XV, num. XIV, ubi citat Ferrariensem, I contra gentes, cap. I. Sequitur etiam Herice hic tract. I, disp. III, cap. III, qui tamen dissonantiæ arguit ipsum Suarez, dum asseruit in Deo salvari actum primum respectu intellectionis, ut est actus secundus, cum hoc enim stare non potest quod constituatur ipsa essentia per actum secundum, si quidem supponit actum primum; constitutum autem essentiæ nihil prius supponit.

RESOLUTIO EX MENTE D. THOMÆ.

VIII. Sit prima conclusio. Non potest natura divina secundum con-

ceptum naturæ nostro modo intelligendi constitui per ipsum esse quantumque sumatur in abstracto, sed per ipsum esse a se, seu substantiam a se constituitur formaliter ratio entis increati seu divini sub conceptu communi, et quasi transcendentali ad naturam, attributa, et Personas, non sub conceptu proprio, et formali naturæ ut distinguitur ab istis attributis, et Personis, etc. Hujus conclusionis explicatio sumitur ex notatis in initio articuli. Et illi favet S. Thomas in primo, distinct. VIII, quæst. I, artic. I circa quartum argumentum, in quo proposuerat D. Thomas, auctoritatem Damasceni dicentis: « Quod hoc nomen qui est non significat quid est Deus, sed quoddam pelagus substantiæ infinitum. » Et respondet: « Quod hoc nomen, qui est dicit esse absolutum indeterminatum, et ideo dicit Damascenus, quod non significat quid est Deus, sed significat quoddam pelagus substantiæ infinitum quasi non determinatum. » Quod etiam in corpore articuli dixerat: « Quod scilicet hoc nomen qui est significat esse indeterminatum, et non quid est, et quia in statu viæ hoc tantum cognoscimus de ipso quia est, et non quid est nisi per negationem, et non possumus nominare nisi secundum quod cognoscimus, ideo propriissime nominatur a nobis quia est. » Ubi S. Thomas aperte declarat quod conceptus ipsius esse a se (quod est pelagus quoddam essendi) in Deo non constituit ipsum qui est Dei determinate, sed solum pertinet ad ipsum an est, seu quia est, et ita significat indeterminatum pelagus substantiæ, id est, aliquid indifferens, et quasi transeendens in ordine increato, et commune ipsi naturæ, et attributis, in præsentem autem inquirimus, quid sit illud quod ut determinatum constituit ipsam quidditatem seu natu-

ram in Deo ut distinguitur, et discernitur ab attributis. Item in hac prima parte quæst. XIII, art. XII ad primum, inquit: « Quod hoc nomen qui est, est magis proprium Dei quantum ad id a quo imponitur, scilicet ab esse quod solum est essentiali Deo, sed quantum ad id quod imponitur nomen est magis proprium hoc nomen Deus quod imponitur ad significandum naturam divinam. » Unde fit validum argumentum, nam doctor sanctus negat hoc nomen qui est significare naturam divinam, licet sit proprium Dei quantum ad id, a quo nomen imponitur, quia esse soli Deo est essentiali, et attribuit huic nomini Deus ut distinguitur ab illo, quod significet naturam divinam, ergo in alio, quam in ipso esse constituit formalem conceptum, et significatum naturæ divinæ, ut natura est. Nec restat aliud quam intelligere quod in præsentem articulo quarto dicit esse substantiam Dei, aliisque locis infra citandis, et sic in illo constituatur formalis conceptus naturæ divinæ.

IX. Ratio autem conclusionis unica, et efficax est illa quam in initio articuli insinuavimus, quia esse a se seu substantia a se, ut dicitur rationem actus puri invenitur in omni attributo, et Persona, et in omni eo quo divinum est non minus quam ens creatum, seu ens ab alio in omni eo quod creatum est: ergo non potest iste conceptus entis a se discernere in Deo id quod natura est ab eo quod attributum est vel Persona, vel operatio, sed solum discernit id quod divinum est in genere, ab eo quod est creatum, et ita distingui intrinsecus, et transcendens, scilicet inter ens creatum, et ens increatum ut sic, non inter naturam divinam, ut natura, et proprietates, quod solum in præsentem inquirimus,

SECUNDA CONCLUSIO.

X. Sit secunda conclusio: Intelligere in actu secundo (quod in nobis formaliter est operatio præsupponens principium a quo emanat, nam radicale quod est natura, quam proximum quod est potentia) in Deo pertinet ad constitutionem naturæ, quatenus est purus, et ultimus actus; atque adeo per modum substantiæ se habens, et non per modum egressionis, vel accidentis: has enim duas imperfectiones, scilicet egrediendi ab alio actu priori, vel inhærendi ut accidens exiit, actus secundus intelligendi in Deo. Itaque sicut relatio quantum in Deo purificatur a ratione accidentis, et induit rationem termini correlative oppositi, et subsistentis, formalissime constituit rationem Personæ, ita operatio exuta a ratione accidentis, et egressionis, et solum considerata in ratione actus ultimi substantialis, formaliter constituit gradum naturæ, qui est actus purus, et summus gradus vitæ.

XI. Sic intellecta conclusio probatur, primo ex D. Thoma in hac prima parte, quæst. xviii, art. iii, ubi probat Deum obtinere summum gradum vitæ, quia illud, cujus sua natura est ipsum ejus intelligere, et cui id quod naturaliter habet non determinatur ab alio, hoc est quod obtinet summum gradum vitæ. Cujus consequentiæ vis stat in hoc, quod si aliquis gradus vitæ fit, in quo intelligere sit operatio egrediens ab alio priori principio, hoc ipso illud principium minus habet de gradu vitæ, quia minus habet de actu, si quidem operatio actus ejus est, ergo ille gradus, ut antecedens actum intelligitur ut vita perfectibilis, et determinabilis per operationem, ergo hoc

habet minus de summo gradu vitæ, quia ille est summus gradus vitæ, qui non intelligitur amplius determinabilis, sed ex se intelligitur in ultimo actu determinationis. Cum ergo ex suo formali conceptu constituatur vita intellectiva in Deo per formalissimam rationem summi gradus vitæ, illud dicitur formale constitutum talis vitæ, ut summus gradus est, quod formaliter constituit vitam ut non amplius determinabilem ab alio conceptu, sed ex vi sui conceptus formalissimi in ultima, et summa determinatione est, hoc autem habet ex eo, quod sua natura est suum intelligere, ut inquit D. Thomas, ergo ipsum intelligere ut est actus ultimus, et formaliter constituit vitam intellectivam ut non determinabilem ab alio, formaliter constituit eam in ratione summi gradus, et naturæ divinæ.

XII. Nec elevatur ista ponderatio dicendo, quod D. Thomas non contendebat vitam actualem pertinere ad formalitatem naturæ, sed Deo convenire vivere perfectissime, et hoc optime probat, quia ejus intelligere est ejus esse. Cæterum hoc responsio valde superficialiter tangit mentem doctoris sancti, nam cum ibi constituat formalem rationem vitæ in eo, quod aliquid se moveat, et reducat in actum, et quod tanto est perfectior vita stando intra formales terminos, et conceptum vitæ, quanto minus determinatur ab alio, et magis est in actu determinato ex se, oportet quod probatio D. Thomæ ut formalis sit, sumatur ex illa ratione formali, cujus beneficio constituitur conceptus vitæ minus determinabilis ab alio, et magis in actu a se, quam ex eo quod aggreget sibi plures perfectiones, et identificetur cum illis, ut quod intelligere sit suum esse, aut sit idem cum attributis, sed magis ex eo, quod intelligere sit sua natura, et non præ-

supponat alium conceptum priorem, quod per intelligere tamquam per operationem determinetur in actu, sed quod ipsum intelligere taliter sit ejus natura, quod ex vi formalissimi sui conceptus, non sit determinabilis ab alia re, neque ab alio conceptu, intra formalem conceptum vitæ, et ideo constituat summum gradum vitæ, ergo ad illum conceptum formaliter pertinebit constituere summum gradum vitæ, ad quem formalissime pertinet reddere omnino indeterminabilem ab alio conceptu, seu formalitate in ratione vivendi, et hoc erit intelligere, non radicalis intellectualitas, quia hæc determinabilis concipitur per intelligere.

XIII. Nec iterum instari potest in ipso actu voluntatis, qui etiam est actus subsistens, et actus purus, et tamen intelligitur per modum operationis in Deo, et non per modum constituentis vitam volitivam, aut principium volendi, ergo etiam intellectio licet sit actus purus, subsistens in genere intellectivo poterit concipi per modum operationis, non per modum primo constituentis ipsam vitam intellectivam, et gradum ejus. Sed respondetur quod volitio ex suo formali conceptu, et linea volitionis non potest constituere gradum vitæ, sed consequi ad illam; appetitivum enim in viventibus, non constituit gradum, sicut intellectivum, aut sensitivum, eo quod omnis appetitus se habet per modum ponderis, et inclinationis, et omnis inclinatio supponit formam, ad quam consequatur sive naturalem, si fit appetitus innatus, sive apprehensam si sit elicited, non ergo inclinatio, et appetitus potest esse formaliter primo, et per se constituens in aliquo gradu vitæ, sed supponens gradum constitutum. Unde licet sit subsistens, quia in Deo nullum po-

test esse accidens, tamen ex suo formali conceptu, non potest esse subsistens, ut constitutum naturæ, et gradus vitæ, sed ut subsistens consecutum. Et pro hac parte, conceptus ejus magis admittit de formalitate operationis, quam conceptus intellectionis, quia intellectio ex ipsa linea intellectualitatis habet pertinere ad id quod constituit gradum vitæ. Unde si talis gradus sit in summo actualitatis, et ipsum intelligere sit subsistens, magis pertinebit ad rationem constituentis gradum talis vitæ, quam consecuti ad illam.

XIV. Secundo, pro ista conclusione videri potest S. Thomas infra, quæst. xxvii, art. ii, ubi probat quod processio Verbi est generatio substantialis, quia procedit ut similitudo rei intellectæ, et in eadem natura existens, quia in Deo idem est intelligere, et esse, ut supra ostensum est, scilicet in hac quæstione, art. iv, ergo D. Thomas eodem modo locutus est ibi, et hic, et consequenter si probaverimus, quod ibi loquitur in sensu formali, et non identico, etiam probatum manebit, quod in præsentem, quando dicit quod intelligere est ejus esse, loquitur in sensu formali. Quod autem ibi loquatur in sensu formali probatur, quia Filius in quantum Filius non procedit ut similis suo generanti solum identice, sed formaliter, nec procedit ut similis Patri in proprietate characteristicæ Patris, in hac enim dissimilis ei est, et oppositus relative, sed in natura, et sic cum ex formali ratione processionis debeat exprimere esse similem generanti in natura, et non solum per identitatem, alias non salvatur ratio generationis, ut manifeste patet in Spiritu Sancto, qui formaliter procedit ut amor, qui identificatur cum natura divina, et tamen non procedit ut Filius, nec per generationem, quia procedit so-